



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. IV. Vtrùm res creata poßit existere sine omni vbicatione, & an Deus sit in spatijs imaginarijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

aliā vicationem, nec viciatio humana aliā durationem. Sed hac solutio nititur doctrinæ incertæ, de quâ infra.

Hæc dicta sufficiunt, ad ostendendum, nostram Conclusionem multo esse probabiliorē, etiam si non sit ita communis. Nam in istis rebus purè Philosophicis oportet magis considerare rationes & consequentiā discursus, quàm aliorum Philosophorum placita.

SECTIO III.

Quid sit spatium imaginarium, in ordine ad quod explicamus vicationes.

61 **V**ARIÆ fuere in hac re sententiæ, quæ longè à veritate aberrarunt. Eas omnes breuiter ex dicendis reiciēs, & quid sit hoc spatium intelligēs. Aduerto autem, totam hanc doctrinam, quam in hac Sectione tradam, esse communem inter recentiores nostræ Societatis, accuratius rem hanc examinantes.

Primo ergo dicendum est, spatium imaginarium non esse aliquid reale. Probat, quia hoc spatium fuit ab æterno, & modò intelligitur esse extra cælum empyreum: ab æterno autem nihil reale fuit productum, nec modò est extra cælum empyreum. Præterea, etiam hic datur spatium imaginarium; hoc autem non est corpus aliquod reale, quia omnia illa corpora sunt præsentia ipsi spatio imaginario, vltra illa autem corpora nihil est hic reale, ergo spatium imaginarium non est aliquid reale.

Secundo dicendum est, neque esse negationem ipsorum corporum, quia negatio non coheret cum formâ quam negat, spatium autem imaginarium non destruitur per existentiam corporum in illo.

Tertio, neque item esse ipsas vicationes possibiles, quia vicationes explicamus in ordine ad illud spatium, ergo illud non est vicationes, quia nihil explicatur in ordine ad se.

63 **Q**uarto, neque hoc spatium esse, capacitatem aliquam recipiendi vicationem, quia vel hæc capacitas est aliquid reale, quod ex dictis reiectum est, vel est aliquid negatiuum, & hoc etiam esse non potest, vt ostendimus; ergo non est capacitas aliqua, quæ verè à parte rei datur ante omnem operationem intellectus. Concludendum ergo, hoc spatium imaginarium esse purum ens rationis fictum ab intellectu, ex similitudine cum spatio reali; per species enim aëris fingit intellectus nosse alium, quasi aërem fixum omnino & immobilem, etiam in ordine ad potentiam absolutam, & capacem vt in ipso existant omnes res: & sicut in ordine ad locum realem metimur distantiam vnius corporis ab alio, ita in ordine ad illud spatium metimur distantiam vicationum & corporum realium; hoc autem spatium concipimus etiam existisse ab æterno, & existere extra cælum empyreum, quia extra hoc possunt etiam 64 existere corpora realia. Idè autem spatium hoc fingitur à nostro intellectu, quia cum non cognoscimus determinatè differentiam & dissimilitudinem vicationum inter se, non possumus habere aliquam certam regulam, quâ eas distinguamus, nisi concipiendo illud spatium quasi aliquid reale & fixum, vt ibi & palmas, & vinas,

& stadia, & milliaria concipiamus, in re autem verè nihil est.

Et hinc infero, quod suprà insinuauī, vicationes in re esse tam absolutas, ac albedinem vel nigredinem; nos autem, quia non possumus nominibus propriis illas distinguere, distinguimus in ordine ad locū illum imaginarium, dicimusque, de essentiā huius vicationis esse, existere hic, & de essentiā illius, illic: quod in re nihil est aliud, quàm dicere, de essentiā huius vicationis esse fundare tantam vel tantam distantiam, sicut albedo à seipsa habet constituere album, & non nigrum, neque dulce, sine villo respectu ad connotata diuersa; ita hæc viciatio ipsa habet constituere hominem taliter præsentem, & non alio modo, quod vocamus esse hic. Rursus, sicut albedo non est indifferens vt sit nigredo, aut è contrario; ita viciatio, quæ facit præsentem hominem hic, non est indifferens vt illum faciat ibi præsentem, quod habet ex suâ essentiā. A nobis autem explicatur, vt dixi, per relationem ad spatium imaginarium. Hanc doctrinam obserua pro his quæ Disputatione xv. de tempore imaginario dicemus.

Sed contrà occurrit hæc obiectio, quæ non facile soluitur: Si viciatio non respicit spatium, sed est quadam res absoluta, sicut albedo, cur ergo duo corpora non possunt simul esse in eodem loco? hoc enim nihil aliud est, quàm quod illa simul haberent duas vicationes absolutas. Quid autem obest quod Petrus habeat albedinem ad hoc vt Ioannes non possit aliam similem habere? cur ergo, quia Petrus habeat hanc vicationem, non poterit Ioannes aliam similem habere, si nullum est tertium à quo mutuo se expellant? ibi enim nec subiecta sunt eadem, nec spatium, quia hoc nihil est, vt dixi. Cur ergo habebunt contrarietatem? Respondeo, eas duas vicationes materiales esse tales, vt vna petat naturaliter ne alia existat, etiam si non habeant commune subiectum, à quo se expellant, aut locum realem cui sint præsentēs: id autem provenire ex naturis illarum, sicut ex naturâ caloris provenit vt expellat ex eo subiecto frigus, non autem lucem. Vnde inferes, posse esse duarum rerum contrarietatem seu repugnantiam sine communi subiecto.

SECTIO IV.

Utrum res creata possit existere sine omni vicatione, & an Deus sit in spatio imaginario.

66 **S**UAZ lib. 4. de Angelis cap. 3. fusè probat, nullam rem creatam, neque ipsum Deum, posse absolui ab omni vbi. Rationem à priori reddit, quia realis præsentia intinsecè comitatur realem entitatem; iuxta cuiuslibet propriam capacitatem: Deus enim, quia per suammet substantiam immensus est, per eandem vbiq; existit, aliæ verò res per præsentias distinctas. Hæc ratio non vrget aduersarios, qui dicunt, Deum ante mundi creationem nullibi fuisse, nec iam esse extra cælum empyreum; vnde negant, præsentiam localem consequi ad essentiā Dei, & idem dicunt in aliis rebus, saltem diuinis. Addit Suarez: Demus Angelum creati ante mundum, & hunc

hunc postea, rogo, an ille Angelus maneat distans a mundo, an indistans. Si distans, ergo iam habet vicationem alibi, quia non potest distare nisi alibi existat: si verò non distat, ergo est intra mundum, seu proximus mundo, & consequenter habet vicationem, sine qua nequit esse approximatio. Potest confirmari argumentum, quia hi sunt termini contradictorii, *distat, non distat*, ergo vnus ex illis necessariò etiam diuinitus debet conuenire Angelo. Consequentia est euident. Antecedens autem videtur certum, quia non minus sunt contradictorii, *distat, non distat*, quam *legit, non legit*, &c. distantia autem siue indistantia semper dicit vicationem: distantia dicit vicationem procul, non distantia dicit vicationem hic.

67 Adhuc tamen hoc argumentum non viget; & in primis ostendo euidenter, *distare & non distare*, prout in presenti accipiuntur, non esse contradictoria, quia neutrum ex illis conuenit Chimæra; si autem essent contradictoria, non posset Chimæra vnum subterfugere: sicut, quia *legit & non legit* sunt contradictoria, conuenit vnum ex illis Chimæra, scilicet *non legit*. & idem est de omnibus aliis prædicatis contradictoriis, semper enim ex illis vnum omni rei etiam fictæ debet conuenire. Porro Chimæram posse absolui à distantia & non-distantia, est euident: neque enim distat à me, peto enim, Quam procul est? neque item non distat (id est, mihi est proxima) non ergo illi termini sic accepti sunt contradictorii. Vnde fit rursum, vt neutrum ex illis in eo casu argumenti deberet necessariò conuenire Angelo respectu mundi de nouo creati, prout contendebat Pater Suarez.

Aduerte ergo, *non distat* dupliciter posse explicari. Primo, vt pure significet, *non habet vicationem procul*; & in hoc sensu est contradictorium alterius termini *distat*, & conuenit Chimæra; de qua verum est quòd non habeat vicationem procul. in hoc ergo sensu concedendum est P. Suarzio, Angelum non distare a mundo, id est non habere vicationem distitam, inde tamen non infertur, ergo habet illam propè, quia est medium, scilicet nullam habet, vt patet in Chimæra. 68 Secundus sensus *non distat* est, *habet vicationem propè*; & in hoc communiter accipitur. In quo dicendum, non esse contradictorium verbi *distat*, quia vterque terminus dicit aliquid posituum: *distat* dicit habere vicationem procul, *non distat* habere propè, qui non sunt termini contradictorii; de quorum ratione est, vt alterum non sit affirmatiuum, sed negatiuum pure.

P. Vasquez, quem secutus est P. Moncaus Disputatione 1. cap. 2. & 8. docet, Deum non esse in spatiis imaginariis, & creaturam aliquam posse creari & nullibi existere. Quoad primam partem de Deo, mouetur P. Moncaus, quia spatia imaginaria nihil prorsus sunt (hoc ipsum suppono ex Sectione 4. vbi id fusè probaui) ergo Deus non potest esse in illis, quia Deus non est in nihilo. Quoad secundam partem de Angelis mouetur Primo hoc eodem argumento de Deo, quia si Angelus crearetur nullo corpore existente, cum tunc sola essent spatia imaginaria (quæ, vt supponimus, nihil sunt) non posset Angelus esse in illis, ergo non haberet vllum Vbi. 69 Secundo mouetur: omne id quod est posterius altero, est

separabile à primo, quando hoc non habet essentiali connexionem cum posteriori; sed vbiatio est posterior ad rem vbiatam, & cum ea non habet res essentiali connexionem, potest ergo res manere sine omni vbiatione. Hoc argumentum tam putat euident P. Moncaus, vt non aliter censcat posse defendi, Christum Dominum in Eucharistiâ habere suam quantitatem sine extensione locali.

Tota hæc sententia valde mihi displicet; ideo fit PRIMA CONCLUSIO. Deus est in spatiis imaginariis. Hæc est Suarezij supra, & communis sententia omnium antiquorum & recentiorum, qui videri possunt apud Hurtadum Disputatione 14. Physicâ, sectione 3. vbi eam bene probat. Est etiam expressa D. Augustini lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 5. vbi & Deum infinitis sæculis ante mundum durasse, & esse extra mundum in infinitis locis, vbi alios mundos creare poterat, docet clarissimè: & Philosophos id sentientes docet rectè de Deo & prout debent sentire. Postea autem disputat, cur potius in hoc quam in illo loco mundum produxerit. Idem docet lib. 7. Confess. cap. 5. vbi Deum tamquam mare, mundum verò tamquam spongiam in medio concipit, & consequenter Deum infinitè extra mundum extensum. Primo ergo Conclusionem explicio: Non putandum est, nos ponere aliquas tenebras vel obscuritates, quæ sint spatium imaginarium, in quo Deum quasi latitantem constituamus: dixi enim Sectione 4. spatium hoc nihil prorsus esse. Quando ergo Deum in his spatiis constituo, solum dico, illum ex essentia sua habere talem immensitatem, ratione cuius ita existit, vt nequeat produci, aut concipi producta aliqua res, cui Deus eo ipso non sit intimè præsens, sine vllâ prorsus in ipso mutatione, etiam si neque Deus eam creaturam produceret, neque cognosceret; qui sunt duo alij modi præsentia, quos hi Auctores præcisè videntur tribuere Deo. Hoc autem à nobis explicatur, concipiendo ea spatia imaginaria, perinde ac si esset aliquid extensum actu, vbi Deus esset: quo etiam modo P. Lessius bene explicat hanc sententiam lib. 2. de Perfectionibus diuinis cap. 2. Imò ipse P. Moncaus tenet 71 tur idem prorsus fateri: nam concedit vbiationem distinctam in corpore extenso, & hanc dicit posse esse diuersam, vt esset in hoc mundo, si Deus illum non vbi iam est, sed post cælum empyreum creasset. Tunc sic argumentor: Hæ vbiationes corporum faciunt verè illud corpus existens & alicubi, & tamen per te non respiciunt aliud corpus distinctum ab eo quod afficiunt, sed explicantur à te per ordinem ad spatium imaginarium, licet hoc in re nihil sit; ergo similiter Deus habens per suammet substantiam idem quod illa corpora per vbiationes distinctas, erit verè & propriè existens vbi postea existit corpus, & consequenter erit in spatiis imaginariis. Idem confirmatur, quia, vt ego concipiam, illum hic existere, & vt verè Deus sit intra muros istius scholæ, non pender ab eo quòd hic sit aer aut lux, sed existit in hac vacuitate, etsi nullus sit aer, perinde ac ipse aer ibi existit, etsi nullum aliud esset corpus: differentia autem est, quòd Deus id habet sine vbiatione distinctâ, aer verò per distinctam.

SECUNDA CONCLUSIO. Repugnat, rem aliam quam

quam creatam ab omni vocatione absolui. In hac reicio secundam partem doctrinae Vasquez & Montani. Est autem & hæc Conclusio communis, quam dum probō, probō etiam & priorem. Sic igitur argumentor: Repugnat etiam diuinitas, rem aliquam produci extra causas, quæ absoluantur ab omni duratione, ergo & quæ ab omni vocatione. Consequentia est euidens: quia sicut duratio se habet ad diuersa tempora, siue vera siue imaginaria; ita vocatione ad diuersa loca, siue vera siue imaginaria: & sicut res potest durare, & non in hoc tempore, sed in alio; ita potest existere, & non in hoc loco, sed in alio, & è contrario; quod verum est, etiam si duratio non distinguitur à re durante, quia etiam tunc denominatio hodie durantis ab illâ distinguitur, vnde cum-
73 que id proueniat. Probo ergo iam Antecedens de duratione, quia implicat concipere, aliquid esse extra causas, de quo non sit verum dicere vnum è tribus, vel *fuit*, vel *erit*: quod tam mihi est euidens, quam duo & tria esse quinque, & puto à nemine posse negari; ergo non potest res absolui ab omni duratione, quandoquidem vel præteritam, vel præsentem, vel futuram debet habere, ergo nec ab omni vocatione.

Virgeo idem in Deo: licet tempus imaginarium non sit magis aliquid quam spatium imaginarium, Deus tam verè & realiter durat in tempore imaginario, ergo & realiter existit in spatio imaginario. Consequentia est euidens ex paulo ante dictis. Secunda verò pars Antecedentis, seu Minor, suadetur: quia si Deus verè & realiter durauit ab æterno, etiam antequam mundus esset, ergo durat in tempore imaginario. Hoc vltimum argumentum de Deo proponunt sibi hi Auctores, eique valde obicere respondent; nec mirum, quia non patitur claram solutionem, nisi relabaris in aliquem errorem. Aiont ergo, quando dicitur Deus ab æterno fuisse, non id ita crasse accipiendum, vt ante mundum conditum putetur aliquod tempus fluxisse, cui æternitas Dei coexistit, sed præcisè Deum ita excedere creationem mundi, vt ante ipsum mundum conditum possit aliquod tempus mente concipi, quod si existisset, Deus in eo exstitisset, re autem verà & propriè Deum per suam æternitatem non existere extra tempus reale, seu ante mundum, non quidem ex defectu Dei, sed ex defectu temporis realis.

Hæc solutio est improbabilis: & licet fortè in re nullum absurdum contineat, vtitur tamen terminis errorem sonantibus, vt hoc modo difficultatem reget potius quam explicaret. ex eâ enim manifestè constat, Deum verè & realiter, absolute & simpliciter, non prius existisse quam mundum, siue id proueniat ex defectu creaturæ, siue
75 quomodocumque. Hæc autem propositio, *Deus non existit verè & propriè ante mundum*, fortasse, & merito, reputabitur erronea aut hæretica: quid enim Scriptura, quid Patres, quid ratio naturalis clamat, nisi Deum ab æterno, antequam quidquam faceret, verè & realiter propriè fuisse, nos amasse, prædestinasse, &c. nec incepisse cum tempore: quod deberet negari ab aduersariis. Declaro argumentum: in sententiâ horum, quos impugno, non aliter Deus dicitur verè & realiter durans ex denominatione temporis realis, seu creaturæ realiter durantis, quam ex eadem creaturâ existente dicatur Deus actu produciens, siue

creans; vtrumque enim partim est denominatio intrinseca, partim extrinseca, in sententiâ horum. Tunc sic: Ergo in eodem rigore, quo verè & realiter dicitur Deus non fuisse actu produciens, seu creans, antequam mundus existeret, etiam dicendus est non durasse ante mundum, seu non fuisse, & consequenter, sicut verè & realiter incepit esse actu produciens quando creauit, ita etiam & tunc incepit absolute existere, quod manifestè erroneum est. Nec possunt euadere, si dicant Deum idè à Scripturâ dici ante mundum: quia si fuisset aliquid ante mundum verè & realiter, Deus fuisset: non, inquam, euadent, nam etiam in hoc sensu debet Deus & ci creans & produciens actu ante mundum, quod est falsissimum. Sequela patet, quia eodem modo, quo, si fuisset aliquid ante mundum, dictus fuisset Deus etiam tunc existens, de facto verò per se non fuit realiter ante mundum; ita etiam, si aliquid fuisset ante hunc mundum, etiam Deus dictus fuisset creans: ergo non aliter potest dici fuisse ante mundum, quam dicatur ante mundum creans.

Aduerte, à me non dici, Deum ante mundum verè & realiter coexistisse, nam coexistentia dicitur duorum existentiam; præter Deum autem nihil fuit ante mundum, non ergo coexistit propriè. Existit tamen, quia ad hoc non requiritur reale tempus, aut realis creatura. Et in hoc isti non
77 benè discunt, dum vtrumque confundunt, licet ad hoc cogatur, eò quod malè negent, Deum actu esse immensum, & extra cælum empyreum, quod nos explicamus clariùs iuxta nostrum modum concipiendi, dum dicimus, illum esse in spatiis imaginariis. Similiter etiam in æternitate, cum verè Deus fuerit sine principio & ante omnem creaturam, vt id clariùs percipiamus, quasi concipimus tempus fluidum aliquid ab æterno, in quo sensu dicimus, Deum coexistisse ei temporis.

Aliud argumentum ab absurdo possumus contra hos Auctores facere: Quia ex eorum sententiâ sequitur, Deum tam propriè moueri localiter huc & illuc, quam moueatur Angelus, in sententiâ horum. Consequens est temerarium. Sequela probatur: Deus iam non est in spatiis imaginariis, sed solum in hoc mundo, per te; moueat Deus mundum istum motu recto versus ea spatia imaginaria, tunc Deus iam ibi incipiet esse de nouo, sicut Angelus mouens huc illuc lapidem, ergo mouetur Deus non minus quam Angelus.

Nec potest recurri ad vocationem distinctam
78 receptam in Angelo, quæ in Deo non produciatur de nouo: non potest, inquam, ad hoc recurri. Primò, quia hi eam expressè negant in Angelo. Secundo, quia etiam in sententiâ negante vocationes distinctas in creaturis, negatur Deo motus localis, qui conceditur Angelo; & constat id manifestè ex communi consensu: nam vocationem esse distinctam, pauci aliqui Philosophi discurrendo ex aliis principiis ostenderunt, omnes tamen seu Philosophi seu idiotæ concipiunt, Deum non posse moueri localiter sicut mouetur lapis vel Angelus, ergo repugnantia motus localis in Deo non prouenit ex vocationis distinctæ repugnantia, sed ex eo quod ipse supponatur vbique.

Aliter respondent recentiores, mundum non posse à Deo motu recto moueri, id est, sursum

O o aur

79 aut deorsum, ad dextram aut sinistram, sed solum circulariter intra eos cardines. Hæc solutio reicitur euidenter, Primò, quia ipsi admittunt, posse à Deo creari alium mundum contiguum huic, quod verum omnino est. Iam ergo rogo, Cur Deus non poterit istum transferre ad alium locum illius, & illum ad locum istius, si nollit eos penetrari inter se? Certè non est maior in hoc difficultas, quàm mouere vnum lapidem ad locum alterius, & è contrario; ergo potest hic mundus moueri motu recto. Idem est, etiam si alter mundus non existat, quia potest Deus dare primo isti mundo vicationem quam iam habet, & postea illam quam haberet mundus huic contiguus, quod lumine naturæ videtur manifestum; nec tunc propriè esset motus in vacuo, quia corpus quod mouetur, impleteret illud spatium. Et licet esset in vacuo, quid inde? numquid si diuinitus aer hic inclusus intra cubiculi muros destrueretur, non posset etiam diuinitus vnus lapis ab vno muro ad alterum vehi ab Angelo? Secundò, quia in motu circulari esset eadem difficultas, quia ille verè est motus; ergo Deus non aliter existens localiter, quàm in corpore reali, sicut hoc mouetur verè, siue id sit recta, siue circulariter, ita & Deus.

80 Argumenta autem contraria non vrgent, nam malè ab his supponitur, non habere corpus vel res creatas essentiali connexionem cum aliquâ vicatione indeterminatè, iam enim est à nobis ostensa ea connexio, quæ non benè impugnatur ex eo, quod vicatio sit aliquid posterius ad rem, vel quia possit sine quacumque determinatè existere, perinde ac si argumentaretur, Hominem habere albedinem, aut negationem illius, est aliquid posterius ad ipsum hominem, & neutra pars determinatè est connexa cum illo, ergo poterit Deus facere vt homo neque habeat albedinem, neque carentiam illius, quæ consequentia nulla profus est, ita etiam in præsentî calu. Similiter, Deum velle, aut nolle creare mundum est aliquid posterius ad essentiam Dei, & cum neutro ex illis actibus Deus habet connexionem determinatè, ergo poterit Deus sine vtroque actu realiter manere, quod est falsissimum. Et hoc exemplum habet vim etiam in nobis in sententiâ negante puram omissionem liberam, quæ tamen non reicitur ex hoc capite. Quod autem Secundò docent, sine hac doctrinâ non posse præsentiam Christi Domini in Eucharistiâ defendi, valde mirandum est, quasi ibi Christi Domini quantitas non haberet propriam vicationem; non ergo necessum est, vt ibi sit Corpus Christi, illud posse carere omni vicatione.

81 Dices: Priuatur quantitas Christi propriâ extensione, ergo potest priuari omni vicatione. Mala consequentia, quia, vt dixi, habet quantitas & qualibet alia res creata essentiali connexionem cum aliquâ vicatione, non tamen cum hac determinatâ; quando autem sunt penetratæ partes, iam habent vicationem. Fateor, quantitas naturaliter repugnat tali penetrationi, non tamen omnia quæ naturaliter repugnant, repugnant etiam diuinitus; nec est bona consequentia, Hæc proprietates seu passio naturalis potest diuinitus auferri ab essentiâ, ergo omnia possunt ab essentiâ auferri, quo modo argumentatur aduersarius in præsentî.

Et vt clariùs hæc percipias, & consequentiæ defectum in aduersariis notes, aduerte, ab ipsis doceri, extensionem localem partium nec diuinitus posse separari ab vicatione. Ex quo sic arguuntur: Repugnat diuinitus, quantitatem existentem & habentem partes, non esse aut extensam aut inextensam, hæc enim duo sunt priuatiue opposita, vt ex ipsis terminis patet; neque enim potest intellectus concipere duas partes inter se vnitas, & neque vnâ esse extra aliam, neque intra se; ergo vel faciunt extensionem, vel sunt penetratæ. Vterius, si faciunt extensionem, necessariò habent, per te, vicationem distinctam; si sunt penetratæ, etiam illam habent, ergo necessariò illam debent habere in omni calu. Consequentia est bona. Secundam partem Antecedentis, in quâ est difficultas, probò à simili ex tuâ doctrinâ: quia vt vna pars correfpondeat nostro modo concipiendi diuerso spatio imaginario ab alterâ parte, ergo essentialiter vicatione distinctâ, ita tu facis, ergo & vt plures correfpondeant eidem spatio, etiam indigebunt vicatione. Patet euidenter consequentia, quia esse in vno vel in diuersis locis, non tollit esse in loco, & vtrumque indeterminatè est separabile & vtrumque est aliquid reale, ergo vtrumque ab vicatione superadditâ prouenit.

Dices: Penetratio est negatio extensionis. Contra: Primò ego dicam, *extensio est negatio penetrationis*, cur ergo extensio erit aliquid posituum, magis quàm penetratio? Contra: Secundò, quia carentia extensionis, quam tu vocas penetrationem, est indifferens vt sit hic vel Romæ vel alibi: nam de facto quantitas Christi Domini hic & Romæ habet penetrationem, & non habet illam apud Turcas v. g. ergo eas partes esse penetratas hic, aliquid est distinctum superadditum carentiæ extensionis, quia hæc carentia vbique est eadem, & tamen non propterea partes penetratæ existunt vbique, debet ergo esse aliquid posituum, perinde ac est ipsa extensio.

Dices vterius: Dum supponimus, eas esse penetratas hic, iam supponimus vicationem; quid ergo mirum, si hoc nequeat intelligi sine vicatione? possunt tamen esse penetratæ, & nullibi. Sed contra, quia pari ratione idem ego dicam de extensione, scilicet posse partes esse extensas, & tamen nullibi, quia non est maior ratio de extensione, quàm de penetratione, quod præcisè in præsentî contendo, vt ex tuâ doctrinâ veritatem eliciam: non posse autem partes esse sine extensione, aut sine penetratione (vt paulò antè dixi) manifestum videtur, quia vel debent occupare distinctum locum vel eundem, & clariùs, vel debet esse vna extra aliam vel intra.

Aduerte, hoc argumentum, licet clariùs vrgat in partibus vnitis, reuera eandem etiam difficultatem habere in duobus Angelis v. g. quia quod careant vnione quam habent duo puncta materiæ, accidentarium omnino est ad vicationem, & propterea meritò aduersarij fatentur, eandem esse difficultatem de corpore, ac de Angelo, & equaliter diuinitus vtrumque posse aut non posse ab vicatione omni liberari. Ego assumo illam partem, non posse, propter huculque dicta.